

*1029 credimus et fatemur: et in eadem ipsa carne in qua iacuit in sepulcro, post resurrectionem ascendisse in coelum, unde venturum expectamus ad iudicium vivorum et mortuorum: * Virginem quoque de qua natum scimus, et virginem ante partum, et virginem post partum, ne consortes Elvidiani erroris habeamur.

RUFINUS Syrus (saec. IV-V)

LIBER DE FIDE ¹PLS
21, 1146

1394

XLIII. Factus igitur homo unigenitus Deus Verbum, ex Maria quidem semper virgine corpus accipiens, animam rationabilem sibi creando, eius substantiae cuius nostra est, ex ipsa semper Virgine nascitur homo sicuti Isaias prophetando dixit, *Ecce Virgo in utero accipiet et pariet filium.*² Semper autem Virginem dixit sanctam Mariam, quoniam sicut virgo concepit, sic etiam virgo permanens peperit. Nam quomodo signum quod datum est a Deo Achaz verum erit? Si igitur non permaneret virgo post partum, et quod virgo concepit, minime credendum est. Quid enim dicit Evangelista de Ioseph? *Et non cognovit eam donec peperit filium suum,*³ id est, non noverat certius quod ipsa erat Virgo, quae Christum paritura praedicta est, nisi post partus editionem documenta * virginitatis eius manere agnovisset intacta. Neenon etiam ex consequentibus et adnunciis Christi signis, Angelis, stella, Simeone, Anna vel Magis, admonitione quoque Angeli, qui ad ipsum locutus est hoc modo, *Surge, accipe puerum et matrem eius.*⁴ Non dixit uxorem tuam, ut scire posset quod Christi caussa Virgini Mariae datus fuerat ut minister. Unde Dominus signum virginitatis confirmare volens, post resurrectionem a mortuis, clausis ad Apostolos ingressus est ostiis, ostendens se ossa et carnem habentem.

*1147

A[P]PONIVS (saec. V)

IN CANTICUM CANTICORUM (405/415)

PLS
I, 850

1395

Lib. III. [...] Tria igitur in se delectabilia et nimis oculis grata, lili natura continere probatur, idest candorem, odorem, [et quaeque adusta ignis medicina]. Quae tria admiranda simili ratione in

¹ Viri docti iudicant Rufinum, auctorem huius libri, esse *Rufinum natione Syrum* (cf. PLS I, 1098).

² Isa. VII, 14.

³ Matth. I, 25.

⁴ Matth. II, 13.

● PLS I, 1036, 1037, 1040.